16.

EXCERPTA HISTORICA,

De

Finibus Imperii Germanici ex Romanis non petendis. Burgundionum in Gallia Regibus. Francorum Origine & tranſitu in Galliam. Imperii Francorum Origine & Amplitudine. Francorum Regibus Merovingis. Regibus Auſtraſiæ. Caroli M. Imperii diviſione tripartita. Non omnia Diviſionis iſtius finibus contenta fuiſſe in pari obſequio. Ambitu veteris Regni Lotharingici. Eiuſque Regibus. Pacto Bonnenſi inter Henricum Aucupem Germaniæ, & Carolum Simplicem Franciæ Reges. Fœdere inter Fridericum II. Imp. & Philippum Aug. Regem Francorum. Pacto Alberti Imp. & Philippi Pulchri R. Francorum &c.

Ad faciliorem intellectum rerum in Germania cis Rhenum heri & hodie geſtarum,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Typis promulgata
A. C. M DC LXXX.

16. 1

Digitized by Google

Romani Imperij veteris res ac jura ad Germanicum Imperium non pertinere, adeoq; nec hujus fines ex Romanis illis petendos.

CEterum hæc antequam agamus, removendus è medio eſt vulgaris & quaſi paſſim receptus error, quo creditur, *Imperium Germanicum eſſe Laciniam veteris Imperij Romani.* Hinc ſane volunt pene omnes, quæ hodieque illuc pertinent regiones populosque, vel jam tum florentibus Romanorum rebus in noſtrum hunc aut ſimilem morem fuiſſe compoſitos, vel vero ſaltem jure illo, quo olim Romanæ provinciæ unum in corpus convenerunt, etiam nunc omnia contineri: ac proinde quæ hodie ab Imperio noſtro haud poſſidentur, illa tanquam à corpore Imperii Romani ſeparata, cenſenda, & hoc reſpectu habito, jure an injuria id fiat, ſtudioſe inquirendum eſſe. Sunt autem in hac ſententia haud pauci, nec indocti; non fortaſſis alii tamen, quam *qui Juſtinianeo juri unice, neglecto omnis hiſtoriæ noſtræ veteris uſu, incubuerunt.* Hos enim ſolos videas, de omni hoc negotio atque adeo & de exemptione, quam vocant, regnorum provinciarumq; pene univerſi mundi, à juribus Imperii Romani, illis quæ diximus fundamentis nixos ab eo uſque tempore, quo in Italia renata ſunt Romani juris ſtudia, uſque huc, acriter contendere. *Conring. de Finibus Imperij Germanici p. 2. & ſeqq.*

Burgundionum in Gallia Reges.

BUrgundionibus Germaniæ trans Rhenanæ populis ſedes primum ſub Honorio Imp. anno 413. conceſſæ fuerant in parte Galliæ Rheno propinqua, ut ſupra dixi. Poſt cladem vero Aetianam, ſub Valentiniano III. Sabaudia eorum reliquiis data eſt cum indigenis dividenda. Ibi deinceps conſtiterunt, fini- *Aub. Miræi in Chrō. Belg. p. 100 & ſeq.*

buſque per vicina loca propagatis, in prima Lugdunenſi, Maximæ Sequanorum, Viennenſi, Alpibus Graiis ac Penninis, & provincia cis Druentiam imperio potiti ſunt. Illorum Reges hi memorantur.

GVNDICARIVS Jovino Tyranno ad ſumendam purpuram adjutor, ab Aetio Duce Romanorum ingenti clade proſtratus cum ſuis pacem obtinuit.

GVNDERICVS & CHILPERICVS, Gundicarii filii, Theoderico II. Gothorum Regi adfuerunt contra Reciarium Svevorum Regem in Gallæcia. Chilpericus Genavæ (nunc Genevæ) ad lacum Lemannum ſedem habuit, & SS. Lupicini ac Romani Monachis alimenta de fiſco præberi juſſit.

GVNDEBALDVS ſive Gundebadus, Godegiſilus, Chilpericus & Godomarus fratres, Gunderici filii, regnum inter ſe partiti ſunt. Sed Gundebadus, Chilperico & Godomaro extinctis, cum Godegiſilo regnavit: poſtea hoc etiam perempto, regnum ſolus tenuit, & Burgundionibus leges ſcripſit. Narbonem Geſelico regnante, anno 508. diripuit. Chilpericus à Gundebado fratre cæſus filias reliquit, *Chronam* Deo devotam & *Crotildem* uxorem Clodovei Francorum Regis. Godomarus Viennæ, cum à Gundebado fratre obſideretur in turri flammis eſt exuſtus. Godegiſilus apud Genavam regnavit, à Gundebado Viennæ demum anno 496. captus & occiſus.

SIGISMVNDVS, Gundebadi filius, ad fidem Orthodoxam ab Arriana hæreſi S. Aviti Viennenſis Epiſcopi monitis converſus, cum *Sigericum* filium novercæ dolo enecaſſet, facti pœnitens Agaunenſe monaſterium S. Mauritio ſacrum condidit. Bello victus captusque à Clodemere Rege Francorum, ab eodem poſtea occiſus eſt. Sub eo concilia Epaonenſe & Lugdunenſe ſunt celebrata.

GODEMARVS frater cum Clodemere primum congreſſus, illo in acie cæſo, in fugam actus eſt. Deinde à Childeberto & Clotario Clodovei filiis iterum laceſſitus, iterumque fugatus, regno caruit. Sicque Burgundionum regnum in Francorum poteſtatem anno Chriſti 532. eſt redactum. Burgundionum porro regum Genealogia, in tabulam redacta, extat in noſtra notitia Eccleſiarum Belgii c. 2.

Franco-

Francorum Origo & Tranſitus in Galliam.

GEntis illius incerta eſt origo; & ex vetuſtis ſcriptoribus Trebellius & Vopiſcus primi Francorum meminerunt. Hoc inter eruditos conſtat, illos falli, qui ab Trojanis ipſorum originem repetunt. Vero propior illorum videtur opinio, qui non unius populi nomen iſtud initio fuiſſe putant, ſed plurium populorum: qui animis in idem conſpirantibus armiſque junctis à Romanorum jugo ſeſe vindicarunt, & FRANCI à libertate ſunt dicti. Hi fuerunt *Bructeri, Chamavi, Anſivarii, Chatti, Tencteri, Friſii, Salii, Angrivarii*, & alii populi vicini: qui inter Rhenum, Iſalam, Amiſiam, Viſurgim & Albim vaſtas Germaniæ agros uſque ad Oceanum incolebant, ubi nunc Ducatus Montenſis, ager Tranſiſalanus, Friſia Orientalis & Occidentalis, Saxonia inferior, Haſſia & aliæ vicinæ Provinciæ continentur. Errant autem qui propriam Francorum trans Rhenum ſedem fuiſſe putant eam Germaniæ partem, quæ *Franconia* ſeu *Francia Orientalis* hodie dicitur: cum ex Greg. Turonenſi, aliiſque vetuſtis ſcriptoribus conſtet, Francos à TransRhenanis regionibus Noveſio oppoſitis anno 388. & aliis egreſſos, in Carbonariam ſilvam (nunc Hannoniam) penetraſſe. In tabula itineraria Peutingeriana, ſupra Rhenum fl. in tractu Germaniæ, ex oppoſito Coloniæ Trajanæ, capitalibus literis legitur FRANCIA & in locis Septentrionali oſtio Rheni vicinioribus collocantur hi populi, *Chauci, Anſivarii, Cheruſci, Chamavi qui & Franci.* Ex quo colligi datur, Francos ex iis locis trans Rhenum in Galliam migraſſe. Nonnullos tamen ex illis in Germaniæ interiora penetraſſe, ad Mœnum fl. conſediſſe, & Franconiæ ſeu Franciæ Orientalis nomen iſti terrarum tractui indidiſſe, facile conceſſero. An vero *Reges* antiquitus Franci habuerint Gregorius Turonenſis lib. 2. c. 9. ignotum eſſe tradit. Qui iis præerant, *Duces* primum aut *Subreguli* vel *Regales* fuerunt appellati: ut ex Ammiano & ex eodem Greg. Turonenſi conſtat. *Marcomerem & Sunonem* Regales Francorum Sulpitius Alexander, ab eo Turonenſi laudatus indigetat: eoſdemque mox Subregulos, poſtea Reges nuncupat, vt hæc vocabula promiſcuè uſurpata videantur.

Aubertus Miræus in Chronico Belgico pag. 85. & ſeq. Edit. Antverp.

Primus in Regum appellatione ac ſerie PHARAMUNDUS in Francorum annalibus ponitur, Marcomiri filius: de quo nihil apud Turonenſem legitur. Proſper in Chron. illius exordium anno Honorii Imp. 29. hoc eſt, Chriſti 420. adſcribit. Chlogio vel Clojo ſive Clodius Pharamundi filius exinde regnavit, qui apud Diſpargum Caſtellum in finibus Thoringorum reſedit, teſte Turonenſi. Atque hic Clodius, Romanis profligatis, Atrebates & Camaracenſes invaſit, & uſque ad Somonam fl. ſub annum 445. omnia ſibi ſubdidit. Clades tamen aliquas ab Aetio & Majoriano Ducibus Romanis accepit: quod Proſper & Sidonius indicant. MEROVEUS, Clodii affinis, Francorum in Gallia regnum amplificavit, quem Aetio duci adverſus Attilam anno 45. auxilia miſiſſe tradunt. Cujus filius & heres CHILDERICUS ob flagitia ac libidines Francis inviſus, ſibique metuens ad Thoringos profugit. Franci interim *Aegidium* Romanum Patricium ſibi Regis loco præeſſe voluerunt: ſed poſt annum octavum ab exilio revocatus Childericus, & à ſuis receptus, Aegidium acie ſuperatum ad urbem Sueſſionum fugere compulit, itemque Aurelianos & Andegavos ſubegit. Annis demum 24. exactis moriens Clodoveo filio (quem ex Baſina Thoringorum Regis, ſui olim hoſpitis filia ſuſceperat, quique primus ex Francorum regibus anno 496. Chriſti doctrinam eſt amplexus) regnum reliquit.

De Francorum Imperii Origine & inſigni amplitudine.

Conring. de Finibus Imperii Germanici p. 6. & ſeqq.

CUm Germania omnis multos in populos ſibi mutuo adverſantes hactenus ſemper fuiſſet diviſa, quicquid etiam ejus cis Rhenum fuit, Germaniæ primæ & ſecundæ, Belgicæ etiam primæ nominibus pridem Romani tenuiſſent rara armorum felicitate, per Francos primum, qui jam Galliam quoque uti poſt Italiam occuparunt, in unum tandem corpus cum Italia & Gallia cœpit coaleſcere. Ipſi Franci ab antiquiſſimis uſque temporibus, Catti tunc appellati, jam dudum tenuerant eximiam Germaniæ partem, quæ hodièque Francia vel Franconia audit, à Bo-

Digitized by Google

johemo uſque, cis Bacenim Sylvam ſeu Thyringorum ſaltum, in hanc Saxoniam uſque inferiorem exporrectam, quibus cum Chamavi, Bructari, & Ampſivarii acceſſiſſent omnis ille trans Rhenum tractus à Ducatu Bergenſi uſque in Wirtebergenſem, non minus in nomen quam in jus Francicum pervenit, idque florentibus jam tum Romanorum rebus. quemadmodum alibi multis oſtendimus. Collabaſcentibus inde paulatim Romanorum viribus & Rege ſibi creato, initio ripam reliquam omnem Rheni in Friſios uſque, mox Rheno trajecto Germaniam ſecundam & potiora primæ, Belgicam item utramque, aliasque nonnullas Galliæ provincias, in ditionem ſuam Franci iidem redegere.

Non multo poſt ingente clade, anno quadringenteſimo nonageſimo nono, circa Tolbiacum à Clodovæo Rege cæſis Alemannis, longe potentiſſimo tum Germaniæ populo, provinciam ſuam iidem fecere, quicquid hactenus Alemannici fuerat juris, omnemque adeoque Sveviam, Helvetiam, Bavariam, quædam item cis Rhenum magnæ Sequanorum Provinciæ & Germaniæ primæ.

Thyringiam univerſam, uſque ad Salam amnem & Saxoniæ fines, circa annum quingenteſimum viceſimum quartum adjecere, regno Thyringorum in Hermenfrido Regum ultimo deſtructo. Eadem tempeſtate in Gallia, quicquid ejus Burgundiones & Weſtrogothi occupaverant, extincta plane Burgundionum Republica & Gothis in Hiſpaniam pulſis, in Francici regni jus, conceſſit.

Carolo Martello Duce circa anmum ſeptingenteſimum viceſimum octavum, devicto Friſiorum Rege, regnoque eorum diſſoluto, omnis maritima Germaniæ ora à Rheni oſtiis uſque ad Viſurgim, adjecta eſt Francorum ditioni: quod ejus reliquum in Cimbrica Cherſoneſo jam tum Friſii occupaverant Danis acceſſit, ad quos pulſus Ratbodus confugit.

Friſios Saxones ſecuti, ſæpius etenim licet rebelles, Caroli Magni feliciſſimis armis ſubacti ſunt; quo ingens terrarum tractus, validique populi Oſtphali, Weſtphali & Angrivarii in Francici Regni poteſtatem conceſſere, Eginhardus amplitudinem terræ deſcribens ait; *Saxonia non modica eſt Germaniæ pars, & ad*

Digitized by Google

& ad eam quæ à Francis incolitur latitudine dupla putatur, cum longitudine poſſit eſſe conſimilis.

Poſt Saxoniam idem Carolus Magnus Hunnis devictis, *adjecit*, (verba ſunt itidem Eginhardi) *utramque Pannoniam, & oppoſiti in alteram Danubii ripa Daciam, Iſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam: exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Quo apparet, ingentem tunc ea parte Imperio Francorum acceſſionem factam: quippe cum Bavaria Provinciarum ultima, & hujus terminus Aneſus amnis, (ut ex annalibus Francorum anni ſeptingenteſimi nonageſimi primi conſtat) hactenus fuiſſet.

Idem deinde Carolus Magnus (ut porro loquitur Eginhardus) *omnes Barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Viſtulam fluvios, Oceanumque & Danubium poſita, lingua quidem pene ſimiles, moribus vero atque habitu valde diſſimiles Germaniam incolebant, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret.* Ex quo Eginhardi teſtimonio diſcere eſt, Sclavicas aut Venedicas illas gentes (Polonis tamen forte, adeoque & Sileſiis, Polonorum tum parte, exceptis; nec enim de his perinde conſtat) quæ omnia à Sala uſque amne (ut *qui eodem* teſte Eginhardo, *Thyringos & Sorabos Sclavos tum diviſit.*) ad Albim & inde trans Albim circa maris Balthici littora uſque ad Viſtulam, Bojohemum item ac Moraviam ad Danubium uſque, tum temporis jamdudum (ex quo inde Germaniæ Gentes, irruptione in Provincias Romani Imperii facta, diſceſſere) impleverant, quadamtenus in dictionem Francorum perveniſſe.

Ad hæc idem Carolus in Italia primum omne Langobardorum regnum, extincto ultimo eorum Rege Deſiderio, mox etiam Exarchatum Ravennatenſem ac Pentapolim, aliaque Romano Pontifici à Patre Pipino & ſeſe donata, una cum ipſa urbe Roma & jure tituloque Cæſareo, adeoque Italiam univerſam, ab Augusta prætoria uſque in Calabriam inferiorem, Francorum regno adjecit. Ex omnibus ſc. Italiæ regionibus unica fere Calabria manſit in ditione Cæſarum Conſtantinopolitanorum. Præterea vero urbs quoque *Veneta* in jus Francorum non tranſiit.

Franco-

Francorum Reges Merovingi.

CLODOVEVS magnus Childerici F. Merovei N. Francici regni fines adhuc anguſtos nec ſtatos, devictis Romanis, ſubactis Alemannis, Gothis profligatis dilatavit, ſedemque Pariſiis conſtituit. Poſt eius mortem, quatuor filii, diviſo regno, diverſis in locis regnarunt; *Theodericus* ex concubina natus Metis in Auſtraſia, *Clodemirus* Aurelianis, *Childebertus* Pariſiis, & *Clotarius* Sueſſione: Theodericus Thoringiam regno Francorum adiecit & Theodebertum genuit: Theobertus vero Theobaldum ſine liberis defunctum procreavit: Childebertus & Clotarius Burgundiam & cum Theudeberto ſeu Theodeberto Provinciam acquiſiverunt. Clodemiro mortuo tres fratres, Theodericus, Childebertus & Clotarius ſucceſſerunt. *Aub. Miraum Chron. Belg. p. 103. & ſeq.*

CLOTARIVS Clodovei F. omnibus fratribus ſuperſtes totius regni monarchia potitus eſt, quam inter ſe iterum quatuor eius filii diviſerunt; *Charibertus* Pariſiorum, *Guntramus* Burgundiæ, *Chilpericus* Sueſſionis, *Sigebertus* Auſtraſiæ, Reges. Chariberti mortui regnum fratres inter ſe partiti ſunt, Guntramnus regni ſui heredem inſtituit Childebertum, Sigeberti fratris filium.

SIGEBERTVS Clotarii F. Clodovei N. Auſtraſiæ Rex anno 569. duxit Brunechildem & anno 575. moriens filium reliquit *Childebertum* Auſtraſiæ & Burgundiæ Regem, Childebertus *Theodericum* Burgundiæ & *Theodebertum* Auſtraſiæ Reges. Theodericus fratrem ſuum Theodebertum anno 612. apud Tullum vicit & Coloniam Agrippinam uſque fugavit, quam & cœpit. Idem Theodericus anno 613. Metis profluvio ventris extinctus filium reliquit Sigebertum, qui illo ipſo anno cum avia ſua Brunechilde periit.

Sigeberto juniore jam memorato ſine liberis mortuo, *Clotarius* II. Chilperici Sueſſionum Regis filius, Clotarii I. Nepos, integram monarchiam Francorum anno 614. eſt adeptus. Is genuit *Dagobertum. I.* & *Charibertum* Toloſæ & Aquitaniæ pro parte Regem.

DAGOBERTVS I. poſt mortem fratris ſolus regnum tenuit, & ex Gomatrude genuit *Clodoveum II.* & *S. Sigebertum*, Auſtraſiæ Regem, Dagoberti à Grimoaldo tonſi patrem.

Clodoveus II. ex S. Batilde genuit *Clotarium III.* Corbejæ Gallicæ fundatorem, *Childericum II.* Auſtraſiæ Regem, Chilperici patrem & *Theodericum.*

THEODERICVS Clodovei II. filius, Francorum Rex in Atrebatenſi S. Vedaſti monaſterio conditus, ex Doda conjuge ſuſtulit *Clodoveum III.* ſine liberis anno 694. defunctum, & *Childebertum II.*

CHILDEBERTVS II. Rex an. 711. moriens filios tres reliquit, *Dagobertum II. Chilpericum, Danielem & Clotarium.*

Dagoberti II. Filius THEODERICVS II. Francorum Rex genuit *Childericum III.* Regem an. 750. aut 752. tonſum, in quo ſtirps maſcula Merovingorum defecit: Merovingorum porro ſtemma, in tabulam Genealogicam redactum, Lector in noſtra Notitia Eccleſiarum Belgii cap. 3. reperiet.

Reges Auſtraſiæ quorum Sedes fuit Metis.

Aub. Miræus Chron. Belg. p. 124. & ſeq.

GAlliam Romanis bello ereptam victores Franci in *Auſtraſiam* & *Neuſtriam* diviſerunt. AVSTRASIA (quam S. Remigius in ſuo teſtamento *Auſtriam* nuncupat) ab extremis Burgundionum finibus uſque ad mare Friſium, inter Rhenum, Molam & Scaldim porrigebatur. Itaque Mediomatrices, Treveros, Vbios, Moguntiacum, Clivos, Gelriam, Brabantiam, Hannoniam, Hollandiam, Zeelandiam, Hasbaniam, Eburones, Tungros, Limburgenſem & Luxemburgenſem Ducatum, denique Alſatiam, Lotharingiam, Palatinatum Rheni, Burgundiam & Arduennam comprehendebat. Regni titulo decorata ſuos olim *Reges* habuit: quorum ſedes potiſſimum fuit Urbs Mediomatricum ad Moſellam, quam hodie *Metas* nuncupamus. Ceterum rebus, ut fit, temporis lapſu variantibus, ditio illa ampliſſima, omiſſo Auſtraſiæ vocabulo, à Lothario Lotharii I. Imperatoris filio (qui Placentiæ in Italia anno 869. obiit) *Lotharingiæ* nomen accepit. Habuitque Lotharingia ſuos quoque *Reges* ex ordine, ac poſtea *Duces*: de quibus infra dicemus.

NEVSTRIA ſive Weſtraſia, regnum olim Francorum in Gallia occidentali, Flandriam, Arteſiam, Picardiam, Comitatum Bo-

tum Bononienſem, Normanniam, & alias omnes regiones inter Scaldim, Sequanam & Ligerim ſitas complectebatur. Cujus quidem regni metropolis, *Lutetia Pariſiorum.* Errant igitur, qui ampliſſimum iſtud regnum unius Normanniæ anguſtiis includunt.

Primus Auſtraſiæ ſeu Metenſium Rex fuit *Theodericus*, Clodovei Magni F. naturalis, cui anno 534. *Theodebertus* filius ſucceſſit. Theodebaldo anno 554. ſine liberis defuncto, *Clotarius*, ejusdem Clodovei Magni F. legitimus, Auſtraſiam cum reliquis Francorum regnis tenuit. Facta deinde anno 561. inter quatuor Clotarii filios partitione, *Sigeberto* Auſtraſia obvenit. Is ex Brunechilde *Childebertum*, Childebertus Theodericum Burgundiæ, & *Theodebertum* Auſtraſiæ Reges reliquit. *Theodericus* fugato fratre Theodeberto anno 612. Coloniam Agrippinam cepit, & Auſtraſiam univerſam occupavit. Theoderici filio *Sigeberto* ſine prole anno 614. ſublato, *Clotarius II.* Chilperici filius integram Francorum Monarchiam eſt adeptus. Huius filius *Dagobertus* anno 622. in Auſtraſia à Patre regnare juſſus, ex Gomatrude Clodoveum II. Neuſtriæ ac Burgundiæ, itemque *S. Sigebertum* Auſtraſiæ Regem procreavit. Sigeberti filium parvulum *Dagobertum* Grimoaldus major domus regiæ an. 654. tonſum in Scotiam ablegavit, Childebertum filium ſuum ad Auſtraſiæ regnum evehere conatus. Sed Grimoaldo capto atque è vivis ſublato, Clodoveus II. ſupra memoratus filium ſuum juniorem *Childericum* anno 660, in Auſtraſia regnare juſſit. Cui per Bodilonem anno 667. cæſo frater *Theodericus* in regno eſt ſuffectus. Manſitque deinceps Auſtraſia cum reliquo Francorum regno conjuncta. Theuderico *Clodoveus III.* huic *Childebertus* frater, Childeberto *Dagobertus II.* filius ſucceſſit. Huic anno 715. defuncto quemdam Danielem ſubſtituerunt, quem mutato nomine Chilpericum vocarunt. Illo mortuo Carolus Martellus *Theodericum ſecundum* Dagoberti II. filium, Regem conſtituit. Exinde poſt ſeptem annorum interregnum, *Childericus III.* Theoderici II. filius, Merovei ſtirpe poſtremus, anno 742. iniit, & uſque ad annum 752. regni ſpeciem habuit, *Carolomanno* Martelli filio (poſtea Monacho) in Auſtraſia, & *Pipino* eius fratre in Neuſtria interim dominante. Childerico

B 2 autem

Digitized by Google

autem in Monachum detonſo, idem PIPINUS, ex Maiore domus anno 752. Rex Francorum appellatus, ad poſteros regnum transmiſit. Ex his liquet quinam Principes Merovingi rebus apud Belgas ex ordine præfuerint. De *Carolingis* & aliis infra ſuis locis dicetur.

De Caroli M. Imperij in tres partes diviſione, atque adeo de prima origine regni Germanici aut Orientalis Francorum ab aliis ſeparati.

Conring. de Finib. Imp. Germ. p. 12. *& ſeqq.*

IN hunc modum late patuit Carolo Magno rerum potiente, adeoque initio ſeculi noni, Francorum Imperium. In eandem potentiam ſucceſſit quidem filius eius unicus *Ludovicus*, quem *Pium* nuncupant. Hic & alibi tamen illa haud exiguam fecit jacturam, cumprimis poſt non minus imprudentia Ludovici Patris ante tempus imperium inter filios dividentis, & diviſionem illam non multo poſt improbantis & mutantis, quam Lotharii filii ambitione, ſuſcitatum inter patrem & filios, imo & inter ipſos filios ferale diſſidium. At Ludovico mortuo, poſteaquam ingentibus præliis, cum primum eo, quod *ad Fontiniacum* anno 840. geſtum eſt, & ſeſe mutuo & remp. omnem miſerrime afflixiſſent, pace tandem conſtituta tres fratres, Lotharius, Ludovicus & Carolus, totidem in partes omne Francorum imperium diviſere, quod ex eo nunquam in unum potuit coaleſcere. Illa partitio quemadmodum fuerit inſtituta, accurate eſt obſervandum; idque ideo, quoniam originem huic & jura ſua propria debent, cum hoc noſtrum Germanicum ſive (ut tum & multis poſt ſeculis audiit, antequam Romani Imperii cognomentum invaleſceret) Orientale Francorum regnum, tum Gallicum, quod hodieque κατ' ἐξοχὴν Franciam dicimus, olim occidentale Francorum regnum nuncupatum. Non aliunde rectius illius diviſionis notitia poſſet peti, quam ex Nithardo, qui de diſſidio illo fraterno & pace compoſita quatuor libros conſcripſit, ipſemet ut Bertha filia Caroli Magni natus, ita magnis negotiis illis paciſque iſti compoſitioni à Caroli partibus admotus, niſi illius opus vitium ævi fine mutilaſſet. Nec vero illa, quæ ex neſcio,

qua

qua appendice Aimoini à Pithœo adjecta eſt Nithardo diviſionis formula, ad hanc rem (quod tamen viſum eſt Pithæo) quidquam facit: quippe cum nobiliſſima illa inter fratres tres partitio contigerit anno 842. iſta autem Pithoeana demum anno 870. perinde atque Sigeberti quædam de hac nobili diviſione perperam ſunt inſerta l. 4. Nithardi *pag.* 478. *edit. Francofurt.* Quapropter aliis teſtimoniis, de quorum tamen fide dubitare non poſſis, res omnis hæc illuſtranda eſt. Atque antiquiſſimus quidem illique ævo maxime vicinus, Annalium Fuldenſium autor fuerit. Verum parum nos juvat ille, quia limites non exacte definivit ſuis vocabulis: eoque non eſt, quod illis hucadducendis immoremur.

Regino vero Abbas Prumienſis doctiſſimus, ſimul & nobiliſſimus Germaniæ Chronographus, ita pene loquitur: *Anno Dominicæ incarnationis* 842. *tres fratres Imperium Francorum inter ſe diviſerunt, & Carolo Occidentalia regna ceſſerunt, a Britannico Oceano uſque ad Moſam fluvium. Ludovico vero Orientalia: ſcilicet omnis Germania uſque ad Rheni fluenta, & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis trans Rhenum, propter vini copiam. Porro Lotharius qui & major natu erat & Imperator appellabatur, medius inter utroſque incedens, regnum ſortitus eſt, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharingia nuncupatur, totamque provinciam* (id eſt Galliam Narbonenſem) *nec non omnia regna Italiæ cum ipſa Roma urbe.* Reginonis verba tranſcripſit Marianus Scotus, ac proinde non eſt, quod illum teſtem vocemus. Iiſdem autem propemodum verbis uſus quidem eſt Sigebertus etiam Gemblacenſis: quoniam tamen nonnulla illa habet aliquatenus diverſa, eaque magni momenti, itaque ejus teſtimonium addere operæ erit pretium. *Deſcripto* ait ille *in tres partes regno, fratres ad urbem Galliæ Virodunum conveniunt, & inter ſe pacificantur, & datis & acceptis invicem ſacramentis, quisq; ad deſcriptas ſibi partes regni tuendas revertuntur. Carolus accepit occidentalia regna à Britannico Oceano uſque ad Moſam fluvium, in qua parte ex tunc & modo nomen Franciæ remanſit. Ludovico Orientalia regna ceſſerunt, omnis ſcil. Germania uſque ad Rheni fluenta & aliquæ trans Rhenum Civitates cum adjacentibus pagis, propter vini copiam. Lotharius qui major natu erat & Imperator appellabatur, omnia Italiæ*

regna tenuit, cum ipſa Roma, nec non & Provinciam & mediam partem Franciæ inter Scaldim & Rhenum, quæ mutato nomine ab eo denominatur Lotharingia. Plenius utroque limites diviſi Francorum imperii, etſi paucioribus verbis, perſecutus eſt accuratiſſimus Franciæ hiſtoriæ ſcriptor Paulus Aemilius *l.* 3. *Convenit*, inquit, *ut Franciæ Rex Carolus diceretur; eaque Arari, Rhodano, Scalde, Moſa, Oceano, Pyrenæo ſaltu contineretur: Ludovico Germania, Hunniaq;* (id eſt Pannonia utraque) *cederet: reliqua opes ac imperium penes Lotharium forent.*

Ex quibus teſtimoniis patet, Rhodanum amnem citra controverſiam terminum conſtitutum regni Gallici. Et vero hinc cum alia tum Lugdunum & Vienna ad ipſam Rhodani ripam Lotharii in ditione fuere, quemadmodum hoc tabulæ docent diviſionis illius, quam inter ſeſe Ludovicus & Carolus anno 870. inſtituerunt. Similiter vero & Moſam fuiſſe factum limitem Carolini & Lothariani regni, certum eſt: Bene tamen & Sigebertus & Aemilius monuere, non ſimpliciter omnem Moſam factum limitem, ſed inferiore illius parte, qua videtur nimio juſto ad Rhenum accedere, Scaldim amnem in locum quaſi ex conſtituto ſucceſſiſſe. Bene item monitum ab Aemilio, Ararim fluvium ab initio eius uſque dum Rhodano miſcetur, itidem factum fuiſſe limitem ejusdem Gallici regni. Sane hunc in modum omnino rem ſeſe habuiſſe, ex ſecutis negotiis rebusque manifeſtum eſt. Sed & ex ipſius Nithardi l. 4. conſtat, Legatos Caroli Lothario obtuliſſe per errorem, ut ille arbitratur, non tantum quod Moſam & Rhenum interjacet, ſed quod etiam porrigitur *uſque in Carbonarias.* Tabulæ quoque illæ, quas modo laudavi teſtes (ſunt autem, quas Nithardo adjunxit Pithœus, & ex parte alii cum Aimoino ediderunt) inter ea quæ ex Lotharii bonis Carolo obvenerunt, numerant Cameracum & Tungros Epiſcopales urbes, monaſterium S. Mariæ in Deonant, Comitatum Texandriæ, in Brachbanto Comitatus quatuor, Cameracenſium, Haniojum (qui hodie eſt Hennegaviæ,) Lomenſem ſive potius Lovenſem, in Hasbanico Comitatus quatuor, & Moſaviæ ut & Liugarum ſive Leodicenſis territorii, quicquid cis

Mo-

Moſam eſt, Galliam verſus. Ut proinde dubium nullum ſit, ad Scaldim uſque Lotharianam portionem fuiſſe protenſam.

Audivimus porro non ſimpliciter Rhenum conſtitutum fuiſſe regni Germanici limitem, verum trans Rhenum etiam Civitates aliquot cum pagis adjacentibus Germanici juris fuiſſe factas; Quanquam vero urbes illas nec Regino, nec Marianus, nec Sigebertus, nec Aemilius expreſſerint: tamen ex monumentis illius ævi, cumprimis ex iis quæ paſſim memorantur cum alibi, tum in annalibus Francicis à Petro Pithœo & Marquardo Frehero editis, liquet, fuiſſe illas non alias, quam *Moguntiam*, *Wormatiam & Spiram*.

Etſi præterea indubie Rhenus potiori ex parte fuerit contra Lotharii portionem limes Regni Germanici conſtitutus; circa ejus exortum tamen in Helvetia paulo aliter videtur ſeſe res habuiſſe: non Rhenum ſcil. ſed *Vrſam* amnem, limitem præbuiſſe. Niſi fortaſſis Urſa quondam fuerit habita Rheni portio. Sane videre non eſt, quicquam eius quod inter Urſam eſt & Rhenum hodieque ita dictum, ſive in diviſione regni Lotharii, quam poſt inter ſeſe Ludovicus & Carolus fratres anno 870. inſtituerunt, Ludovico traditum, ſive alio aliquo novo pacto Germanici eſſe juris factum; etſi loca quædam Helvetiæ quæ circa Arolam uſque ad Urſam ſunt, iſta diviſione diſertim Ludovico ceſſiſſe, memorent. Argumento ſane id ſatis certo videtur eſſe, inprima ſtatim diviſione iſthac Germanico regno illa fuiſſe adjecta. Quæ conjectura confirmatur teſtimonio Guillimanni Helveticarum antiquitatum longe peritiſſimi Scriptoris, qui diſerte, *L.3.c. 6. Habſpurgicarum originum*, ut & alias docet, Lotharium inter alia *Helvetiæ partem ad Vrſam uſque*, nactum. Sed quemadmodum ante diximus, forte olim Urſa Rheno accenſitus fuit.

Tale quid ſane circa Rheni ultima ad Oceanum olim hoc ipſo in negotio factum, licet obſervare. Etſi enim poſſit videri, limitem Lothario & Ludovico pariter ibi fuiſſe modicum illum Rheni alveum, qui ſolus vero fluminis ipſius nomine, non multum infra Lugdunum Batavorum prope Cattovicum, Oceano olim miſcebatur, nunc oſtio eſt arenis obruto: ultra tamen ad

Flevum

Digitized by Google

Flevum uſque porrectum Lotharii regnum, veriſimile ex eó eſt, quod, quantum ex tabulis diviſionis inter Carolum & Ludovicum anno 870. factæ, liquet, Lothario tres Friſiæ partes obtigerint: id quod quemadmodum fieri potuiſſet, niſi ad Flevum uſque Lotharii regnum fuerit productum, haud facile dixeris. Et vero Flevus quoque ipſe olim inter Rheni oſtia habitus, quod diſerte teſtantur Mela l.3. Plinius l. 4. c. 15. Ptolomæo hinc oſtium Rheni orientale audiens: indubie ex quo Druſus foſſa facta in Nabaliam ſive Iſalam Rhenum effudit. Nec tamen cum quoquam contenderim, qui alveo illo Rheni vetere Lotharii & Ludovici regna malit diviſa. Ultra Moſam & Vahalim certe, in quæ itidem ſeſe Rhenus diffundit, uſque ad Alveum illum Rheno cognominem protenſum Lotharii regnum, cum aliunde tum ex illis ipſis modo adductis tabulis ſole clarius patet: quippe quæ Utrech, ſive Ultrajectum, ut hodie pleriſque placet, Comitatus item Teſtrebant, & Batuam, ex illa Lotharii portione Ludovico ceſſiſſe, memorent. Et vero Doreſtadum quoq; in ditione fuiſſe Lotharii, narrant annales Francici Pithœani anno 850. Hæc omnia autem trans Moſam & Vahalim ſunt &c.

Non omnia finibus illis contenta in pari obſequio fuiſſe, & quando quave ratione perpetua unio Imperij illius cœperit.

Conring. de Finib. Imp. Germ. 34. & ſeqq.

ALterum quod merito obſerves eſt, quod illo quidem tempore quando Germanicum regnum diviſione iſta eſt conſtitutum, & ab aliis terris ſeparatum, nondum fuerit cautum de ipſo illo regno non dividundo. Hinc mortuo Ludovico Germanico ſtatim in tria regna, paris omnia dignitatis, pro numero filiorum, id quod unus Ludovicus poſſederat, fuit diviſum. In ea re unum duntaxat adducam teſtem; quod plures citare nihil attineat. Eſt ille autem Otto Friſingenſis *l. 6. c.6. Ludovici filii conventione facta regnum paternum dividunt. Et Carolomannus Baivariam, Pannoniam, Carenthanum Bohemiam, Moraviam. Ludovicus Orientalem Franciam, Thüringiam, Saxoniam, Friſiam, Lotharingiam; Carolus Alemanniam & quaſdam Civitates Lotharingiæ propter vini copiam.* Ex quibus

quibus verbis ſimul diſcere eſt,id quod modo diximus, Venedicas regiones pleraſque in veterum Provinciarum cenſu minime tum eſſe habitas. Hac nova autem diviſione vere tria regna, quorum uni in alterum nihil eſſet juris, fuiſſe inſtituta, liquido ex ejus ævi ſcriptis apparet.

Verum bono fato accidit, ut ſtatim poſt Carolomanni & Ludovici ἀπαίδων (ſi de legitime natis ſermo ſit) obitum, cum alia tum tria hæc Germaniæ regna in unam iterum rempubl. coaluerint ſub Carolo fratre tertio, qui à corporis obeſitate *Craſſus* audit. Et vero exinde ſummo Germaniæ commodo, nulla regni, Germanici quidem, quale illud primum Ludovicus Pii filius nactus eſt,Germanici inquam regni diviſio facta nulla eſt. Sed & Zuentiboldo Arnolphi filio notho cum regio titulo ceſſit quidem anno 896. Lotharingia (de regia enim dignitate dubitare cum nonnullis, nos vetant binæ tabulæ, quas exhibet Wilhelmus Heda in hiſtoria Epiſcopor. Trajectenſium) paucorum tamen etiam id annorum fuit; atque ita in corpus Germanici Imperii ipſamet quoque Lotharingia rediit. Num lege lata tamen aliqua publica ita in perpetuum conſtitutum fuerit, an conſuetudine introductum,haud certo definieris: nec enim legis alicuius ſuperant veſtigia in antiquiſſimis etiam monumentis.

Et tamen vix eſt veriſimile rem tantam ſola aliqua conſuetudine potuiſſe ſtabiliri. Sane cum Carolo Craſſo nulli,Arnolpho unicus fuerit tantum legitime natus filius Ludovicus, huic iterum, ut & Conrado Franco nulli fuerint filij, haud injuria dixeris,ſenſim hac ratione id uſu fuiſſe introductum. At vero obſervare eſt,etiam in Galliis inter Ludovici Transmarini filios,regnum illud præter morem veterem non fuiſſe diviſum, idque in Capetana familia ſemper obſervatum. Itaque merito ſuſpiceris utrobique lege tandem aliqua diviſionem omnem prohibitam. Et quidem factum id in Germania fortaſſis,ſtatim circa Arnolphi ætatem, utpote qui primus non tam jure hereditario quam procerum liberiore conſenſu regnum eſt conſecutus, legitima ſobole Carolinæ familiæ in Germania jam exſtincta. Certa hac occaſione ex procerum conſilio ita inſtitutum eſſe per mihi ſit veriſimile. Quod ipſum nonnihil confirmatur

C eo,quod

Digitized by Google

eo, quod Arnolphus filium Zuentipoldum Lotharingiæ regem conſtituturus, Wormaticæ in publicis regni comitiis conſenſum ordinum imploraverit: ceu referunt hiſtoriæ.

Ambitus veteris regni Lotharingici ex tabulis antiquiſſimis.

Conring. de Finib. Imp. Germ. p. 51. & ſeqq.

QUemadmodum omne Lotharingiæ regnum, ipſamet Gallia jus ſuum cedente, æterno fœdere Germaniæ acceſſerit, & in unum Reipublicæ corpus coaluerit, hactenus diximus. Videtur vero non abs re futurum, ſi expreſſius nonnihil indicemus limites ejus contra Galliam; ne qua controverſia inde oriatur, aut quæ orta eſt firmis rationibus munita tollatur è medio. Eſt autem hodieque lis non levis de Barri ducatu: quem juri ſuo Gallia vindicat, tanquam ſuo in ſolo extra Lotharingiæ regnum ſitum. Lotharingica Principum domus Germanico imperio, ceu Lotharingici regni portionem aſſerit. Partes illas utrinque animoſe propugnantibus duobus longe harum rerum peritiſſimis ſcriptoribus, altero Johanne Jacobo Chiffletio in Commentario Lothanienſe, altero Davide Blondello in Barro Campano-Francico. Etſi jam tum capite tertio de finibus illis allata ſint in medium teſtimonia ex antiquiſſimis monumentis, ſimul tamen monitum eſt, Scriptores illos ἐν πλάτει quidem omnia definire non exacte tamen, ut ſolet fieri ab obiter agentibus. Videtur autem univerſus ambitus Lothariani regni, quale quidem illud fuit anno 870. quam rectiſſime omnium poſſe colligi ex tabulis illis, quas ſæpe memoravimus, quibus Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus fratres duas in partes omne illud regnum diviſere. Eoque commodum fuerit illas hoc loco proponere velut cynoſuram. Verum enimvero ex Aimoini quidem Appendice illas nonniſi vehementer inutiles depromſeris: paulo meliores exhibuit ex Bellovacenſi & ſuo codice Petrus Pithoeus: remedium felicius attulit Jacobus Sirmondus in Capitulis Calvi: ſed & hunc ſuperavit, niſi fallor, Aubertus Miræus. Igitur hujus opera utentes dabimus tabulas illas quales habentur capite

viceſimo

viceſimo Codicis Donationum piarum, explicationibus quas addidit Miræus non omiſſis.

ANNO Incarnationis Dominicæ 870. regni CAROLI XXXIII. indictione III. VI. idus Auguſti, inter glorioſos Reges CAROLUM & LUDOVICUM fuit hæc diviſio regni facta, in Procaſpide ſuper fluvium Moſam.

Et hæc eſt portio, quam ſibi HLUDOVICUS accepit.

Coloniam, *Colen*, ad Rhenum.
Treveros, *Trier*, ad Moſellam.
Utrech, *Ultrajectum*, ad veterem Rheni alveum.
Stratsburch, *Argentoratum* ad Rhenum.
Baſulam, *Baſel*, ibidem.
Abbatiam Sueſtre, *Suſteren*, in Ducatu Juliacenſi.
Berch, *prope Ruremundam.*
Niu Monaſterium, *fortè Huy.*
Caſtellum, *Keſſel*, ad Moſam.
Indam. *S. Cornelis Munſter*, prope Aquaſgrani.
S. Maximini, *prope Treveros.*
Ephternacum, *Echternach*, opidum & Abbatia in Ducatu Luxeburgenſi.
Horreum, *Treverenſe* Monaſterium.
S. Gangulfi, *S. Gengoul.*
Faverniacum, *Faverney*, Abb. in Comitatu Burg.
Polemniacum, *Polygni*, oppidum ibidem.
Luxovium, *Luxeul*, oppidum & Abbatia ibidem.
Luteram, *Lure*; Abbatia in Alſatia.
Balmam, *Baulme les Nonnes.*
Offonis Villam, *Vellefaux.*
Megeni monaſterium, *Moien monſtier.* Abbatia in Loth.
S. Deodati, *S. Diey*, in Loth. ad Murtham.
Bodonis monaſterium, *forte Bodonville.*
Stivagium, *Eſtivay*, Abba. in Loth. ad Murtham.
Romerici montem, *Miremont in Lotharing.*

Digitized by Google

Morbach, *Murbacum*, in Alſatia.
S. Gregorii.
Mauri monaſterium, *Maurmünſter*.
Eboresheim, *Abbatia* Eberßheim.
Honovva, Honaw.
Maſonis monaſterium, *Maesmunſter*.
Homburg.
S. Stephani, *Stratsburch*.
S. Urſi in Solodoro. *Soleurre*.
Grandi Vallem, *Grandvaux*.
AltamPetram, *Haulte Pierre*.
Juſtinam, *fortè mont Iuſtin*.
Vallem Cluſæ.
Caſtellum Carnonis, *Chaſtel chalon*.
Heribodesheim, *Abbatia*.
Abbatiam de Aquis.
Hœnchirche.
Auguſtchirche.
Comitatum Teſtrebant, *Teyſterbant*.
Batua, *Betuvve*.
Hattuarias, *ad fl. Neers* in Geldria.
Maſau ſubterior de iſta parte, *onder Maeslandt*.
Item Maſau ſuperior, quod de iſta parte eſt, *Opper Maeslandt*.
Liuguas quod eſt de iſta parte, *Liege*.
Diſtrictum Aquenſe, *Acken, Aix*.
Diſtrictum Tectis ſeu Tetis, *prope Spa*.
In Ribuariis Comitatus V. *ad Ruram fl.*
Megenenſium, *Meyen*, prope Andernacum.
Bedagovva, *Bidburg*, verſus Megen.
Nitachovva, *ager ad Nidam*, fl. in Loth. Nidgaw.
Sarachovva ſubterior, *ad fl. Sar*, in Loth. Saargaw.
Bleſitchovva, *Blis*, Bliſʒgaw. verſus Treveros.
Selme, *Salme*, ad Saram fl.
Albechovva, *Sar alben*. Albengaw.
Suentiſium, *Sanctoy* in Lotharingia.

Cal-

Calmontis ,*Chaumont* ad Moſellam in Loth.
Sarachovva ſuperior, *Sargon.*
Odornenſe,quod Bernardus habuit ,*Darney* in Sylva Voſego.
Solocenſe, *Solieu*, in Burgundia.
Baſiniacum, *Baſſigni.*
Eliſchovve, *ager Aliſienſis vel Elſatius.*
Waraſch, *Comitatus de Vareſco.*
Scudingum, *Salins*, in Comitatu Burg.
Emaus.
Baſalchovva, Baſelgaw. *ager Baſilienſis.*
In Eliſatio Comitatus II. Elſaten.
De Friſia duas partes.

De regno quod HLOTHARIVS habuit ſuper iſtam diviſionem , propter pacis & charitatis cuſtodiam , ſuperaddimus iſtam adjectionem. Civitatem Metis , cum Abbatia S. Petri & S. Martini & comitatu Moſſenſi , cum omnibus villis in eo conſiſtentibus,tam dominicatis , quam & vaſallorum. De Arduenna , ſicut flumen Urta ſurgit, inter Biſlanc, & Tumbas, ac decurrit in Moſam: & ſicut recta via pergit in Bedenſi , ſecundum quod communes fidelis noſtri rectius invenerint , excepto quod de Conduſtro eſt ad partem orientis trans Urtam. Et Abbatias Prumiam, & Stabolau , cum omnibus villis dominicatis & Vaſallorum.

Et hæc eſt portio quam CAROLVS de eodem regno ſibi accepit.

Lugdunum, *Lion.*
Veſontium, *Beſancon.*
Viennam, *Vienne.*
Tungris, *Tongre.*
Tullum, *Toul.*
Viridunum, *Verdun.*
Cameracum , *Cambray.*
Vivarias, *Vivarez.*

Digitized by Google

Ucetia, *Vſez.*
Montem Falconis, *Montfaulcon ad Moſam.*
S. Michaelis, *S. Miel* in Lothar.
Guldini monaſterium, *Colmonſtier.*
S. Mariæ in Biſontione *Iuſſanum monaſterium.*
S. Martini, in eodem loco.
S. Eugendi. *S. Oyan de Ioux,* vulgo S. Claude.
S. Marcelli, *à Chalon.*
S. Laurentii, *S. Laurens* in Comit. Burg.
Leudenſe.
Sennonem, *Senone,* Abbatia in Lothar.
Abbatiam Mellam.
Melbarium.
Laubias, *Lob,* ad Sabim.
S. Gaugerici, *prope Cameracum.*
S. Salvii *prope Valentianas.*
Criſpinio, *Creſpin,* in Hannonia.
Foſſas, *Foſſe,* in D. Leodienſi.
Marilias, *Marolles,* in Hannonia.
Hunulcurt, *Hounco urt,* in Diœceſi Camer.
S. Servatii, *S. Servas, à Maeſtricht.*
Malinas, *Malines,* ad Demeram.
Ledi, *Lier,* in Brabantia ad Netam fl.
Sunniacum, *Soignii,* in Hannonia.
Antonium, *Antoin,* prope Tornacum.
Condatum, *Condè,* in Hannonia.
Merrebecchi, *Meerbeke,* prope Ninoviam.
Ticlivinni, *Dickelvenne,* prope Gerardi montem.
Luitoſa, *Leuſe,* in Hannonia.
Calmontis, *Calmont,* in d. Leod.
S. Mariæ in Deonant, *Dinant.*
Echa, *Eyck,* prope Maſeicam.
Andana, *Andonne.*
Waslori, *Wasler,* in Fania.
Altum montem, *Haultmont.*
Comitatum Texandrum, *Kempenlandt.*
In Brachbanto Comitatus IV. *Brabandt.*

Came-

Digitized by Google

Cameraceſium, *Pays de Cambreſy.*
Hanioum, *Hainau.*
Lomenſem, *vers Namur.*
In Hasbanio Comitatus IV. *Hasbaigne.*
Maſau ſuperior de iſta parte Moſæ, *Maeslandt.*
Maſau ſubterior, quantum de iſta parte eſt.
Liugas, quod de iſta parte Moſæ eſt, & pertinet ad Verſatum, *Liege. Viſet.*
Scarbonnenſe, *Scarbonne ad Moſellam in Lothar.*
Viridunenſe, *Le Verdunois.*
Dulmienſe.
Arlon, *in Ducatu Luxemburg.*
Vaurenſe Comitatus II. *Terre de la Vaiure, ad Carum fl.*
Moſminſe, *Mouſon.*
Caſtricium.
Condruſt, *Condreux.*

De Arduenna, ſicut flumen Urta ſurgit in Bislanc & Tumbas, ac decurrit ex hac parte in Moſam: & ſicut recta via ex hac parte Occidentis pergit in Bedenſi, ſecundum quod Miſſi noſtri rectius invenerint.

Tullenſe, *Toul.*
Aliud Ordonenſe, quod Termarus habuit.
Barrenſe, *Barrois.*
Portenſe, *Portian.*
Salmóringum, *Semurre in Ducatu Burg.*
Lugdunenſe, *le Lyonnois.*
Viennenſe, *le Viennois.*
Vivarias, *Vivarez.*
Ucetiam, *Vſez.*
De Friſia tertiam partem.

Hactenus tabulæ, & quidem ex Miræi editione, ac cum ejusdem explicatione nominum antiquorum. Quamvis enim in multis Miræus haud ſatisfaciat: tamen cum inſtituto noſtro parum aut nihil referat, noluimus quidquam mutare, in commodiorem locum operam iſtam relegantes. Tantum monemus, in recenſione illa ordinem iſtum obſervatum, ut primo loco Epiſco-

Epiſcopatus, ſecundo Monaſteria, tertio Comitatus veniant. Id quod cur ita factum ſit, haud aliam fortaſſe cauſam attuleris, præter inſignem ArchiEpiſcopalium ac Epiſcopalium locorum, ut & Monaſticorum bonorum, præ reliquis dignitatem & pretium: quodque ea ætate in omni Lotharii regno nullus Dux aut Marchio reperiretur, primo Duce inſtituto ab Henrico Aucupe. Verum de hiſce pro inſtituto ſatis.

Conring. de Finib. Imp. German. p. 683. & ſeqq.

Antequam à Thuano heic abeamus, verbo obiter animadvertendum eſt in ejusdem ſermonem, quem ibi interſerit de Metenſibus. *Adelberto*, inquit, *mortuo cum Theodoricus Othoni proximus creatus eſſet Epiſcopus, primariis civibus auctor fuit, ut rejecto unius, qui perſæpe aut durus aut incertus eſſet, dominatu, ſub Imperij nomine libertatem impoſterum colere mallent. Quorum exemplo Baſileenſes, Argentinenſes, Spirenſes ac deniq; Colonienſes libertatis dulcedine ineſcati, legitimum dominorum jugum, Cæſarum patrocinio freti, excuſſerunt, & Senatu conſtituto Rempublicam ordinaverunt. Ita Metim & reliquas illas Lotharingiæ civitates Otho I. à Francorum imperio divulſit.* His ſane commentis nihil eſt futilius; Nec enim vix verbulum hic reperias veritati conſonum. Longe enim ſerius cœpit illa Urbium libertas, & quidem *demum ſeculo duodecimo*, ut alibi demonſtrauimus. SPIRA nunquam Lotharingici regni pars fuit, ſed in ditione Germanici regni ab anno uſque 842. adeoque à trina illa partitione Imperii Francorum Carolini. ARGENTORATUS & COLONIA ſemper fuerunt itidem in ditione noſtrorum Regum ab anno uſque 870. BASILEA ætate Othonis Magni urbs erat Burgundici regni non Lotharingici, & demum longe poſt Othonem Magnum nobis ceſſit. Nec Imperii Romani ulla erat trans Alpes reverentia aut merito, quo tempore Otho Lotharingiam vindicavit. Quæ omnia ex iis quæ jam ſupra narrauimus manifeſta ſunt. Sed & ipſe Thuanus jam narraverat, univerſam Lotharingiam ab Henrico Othonis parte occupatam, inque eandem poteſtatem ſucceſſiſſe Othonem: quî ergo Otho voluerit demum urbes illas, propoſito libertatis pretio ineſcatas, à Gallis diuellere?

Verum non eſt quare hiſce fabulis (quibus tamen & alii vulgo Gallici ſcriptores in tanti momenti cauſa uti hactenus ſolent)

Digitized by Google

ſolent) confutandis immoremur. Et vero prudentiores quique ſilere maluerunt, quam Regiam cauſam in illum modum prodere. Sed & in ipſis Tabulis publicæ pacis non diſſimularunt nuper Regii Legati, Imperii in Urbes & Regiones illas jura HACTENUS fuiſſe integra.

Reges Lotharingiæ.

LOtharingia primum Regibus, poſtea Ducibus paruit. Primus Lotharingiæ Rex fuit LOTHARIUS, Lotharii Imp. filius, qui Placentiæ anno 869. obiit, non relicta prole ex Theutberga Conjuge. Cæterum ex Waldrada pellice liberos reliquit, *Hugonem* anno 885. à Reginone Prumienſi Abbate tonſum. *Bertam* matrem Hugonis Italiæ Regis, & *Gulam* Godefrido Normannorum Regi nuptam. Lothario defuncto, hereditas jure debebatur ejus fratri *Ludovico II.* Imperatori, tunc in Italia agenti: pro quo extat & Reſcriptum Hadriani Papæ. Sed patrui ipſius *Ludovicus Germanicus & Carolus Calvus* obſtiterunt. Nam Carolus ut Lotharium obiiſſe accepit, mox Metas advolavit, ibique eodem ipſo anno ab aliquot utriuſque regni Epiſcopis Rex eſt conſecratus. Aegre ferente Ludovico, regnum Lotharii univerſum à Carolo uſurpari, inita tandem pactione, fratres duo, in Procaſpide ad Moſam fl. prope Hariſtallum convenientes, regnum iſtud æquis inter ſe portionibus anno 870. diviſerunt. *Aub. Miraus. in Chron. Belg. p. 184. & ſeqq.*

II. LUDOVICUS cognomento Germanicus, Germaniæ & partis Lotharingiæ Rex ſecundus, anno 876. obiit, relictis ex Emma Conjuge filiis, *Ludovico, Carolomanno & Carolo Craſſo.*

III. CAROLUS CALVUS Franciæ & partis Lotharingiæ Rex, idemque poſtea Imperator, anno 877. vivere deſiit, *Ludovico Balbo* filio regnum Franciæ tranſcribens. Balbus anno 879. moriens, ex Adelaide uxore reliquit filium in cunis, *Carolum* cognomento *Simplicem*; ut Flodoardus teſtatur. Idem Balbus ex Ansgarde repudiata filios duos ſuſtulerat, *Carolomannum & Ludovicum*, qui in Ferrarienſi monaſterio Reges ſunt coronati.

IV. At vero LUDOVICUS, Ludovici Germanici filius, *cognita morte æquivoci ſui* (Ludovici Balbi) *regnum illius invadere diſpoſuit*

Digitized by Google

& transvadato Moſa, imperiĳ fines occupavit. Cui occurrerunt duo memorati fratres Carlomannus & Ludovicus cum valida manu: ſed intercurrentibus legationibus, pax eſt roborata : ut Rhegino loquitur. Sicq; Ludovico, Germanici filio, Lotharingia ceſſit, ea conditione ut à regno Franciæ abſtineret.

V. Ludovico anno 882. defuncto, frater CAROLUS CRASSUS Imperator in univerſo Lotharingiæ regnum ſucceſſit, & anno 888. moriens *Arnulphum*, Carolomanni fratris ſui Bajoariæ Regis filium, habuit ſucceſſorem.

VI. ARNULPHUS Imperator, Rexq; Germaniæ ac Lotharingiæ, Nortmannos prope Lovanium anno 891. cæcidit, & Wormatiæ in comitiis exiſtens anno 895. *Suendeboldum* filium naturalem Lotharingiæ regno præfecit: ut Rhegino in Chronicis narrat.

VII. SUENDEBOLDUS ob crudelitatem, quam in ſuos exercebat, à Stephano, Matfrido, Gerardo & Raginero Haginoenſi, Comitibus, bello impetitus, ac demum prælio prope Moſam victus, anno 900. occubuit, in Suſterenſi monaſterio conditus; filiabus duabus *Benedicta & Cæcilia* relictis, ex Oda Odonis Francorum Regis filia.

VIII. LUDOVICUS Arnulphi Imperatoris ex Uta legitimus filius, poſt patris interitum, apud Germanos imperium geſſit. Eidem Lotharingia, Suendebaldo fratre occiſo, obtigit, obiitque anno 912. ex Caroli Magni ſtirpe apud Germanos poſtremus. Uxor ipſi fuit Emma ſive Hemma.

IX. Ludovico mortuo CONRADUS vir bello clarus ex Francia orientali, à proceribus regni electus, Imperium Germanicum, cum parte regni Lotharingiæ, obtinuit & anno 919. deceſſit.

X. CAROLUS SIMPLEX Francorum Rex, Ludovici Balbi filius, anno 898. & 912. magnam Lotharingiæ portionem occupavit, eamque annis aliquot tenuit, Rheginone teſte.

XI. HENRICUS AUCEPS, Saxoniæ Dux, Conradi in Germaniæ regno ſucceſſor, anno 921. Carolum Simplicem, terrore armorum ad reſtituendam Lotharingiam compulit. Quo quidem anno, menſe Novembri (ut Flodoardus in Chronico narrat) dicti

Reges

Digitized by Google

Reges Carolus & Henricus apud Bonnam caſtellum convenerunt,& pacem inter ſe facientes fœdus inierunt: *& Carolus nunquam ſibi amplius Lotharienſe regnum uſurpaturum promittens, eſt regreſſus*, ut continuator Rheginonis loquitur. Qui tamen ad annum 925. iſta non recte refert: pactum namque iſtud Bonnenſe ad annum 921. eſt referendum, ut ex Flodoardo, illorum temporum Scriptore, conſtat. Exinde Henricus Auceps viro forti atq; induſtrio GISLEBERTO, Ragineri I. Comitis Hannonienſis filio, Lotharingiam gubernandam commiſit, ipſique filiam ſuam *Gerbergam* anno 929. dedit Uxorem, ut idem continuator Rheginonis teſtatur. Primus itaque Dux Lotharingiæ fuit hic *Giſlebertus*, infra ſuo loco laudandus.

Pactum Bonnenſe, inter Henricum Aucupem Germaniæ, & Carolum Simplicem Franciæ, Reges A. 921. initum.

IN nomine S. & individuæ Trinitatis Divina propitiante clementia, anno Dominicæ incarnationis 921. anno vero regni Domini glorioſiſſimi Regis Francorum occidentalium Caroli XXIX. redintegrante XXIIV. largiore vero hereditate indepta X. Indictione Indictione IX. anno quoq; regni Domini & Magnificentiſſimi Regis Francorum orientalium HENRICI tertio, inter ipſos præfatos Principes unanimitatis pactum, ac ſocietatis amicitia quæſita repertaque exordia ſumpſit, prout viſa ſunt, competentia. Convenerunt enim ambo illuſtres Reges, ſicut inter ſe diſcurrentibus Legatis convenerant II. Nonas Novembris, feria prima. Domnus enim Carolus ſuper Rhenum flumen ad Bonnam caſtrum, & Strenuus Heinricus altera parte Rheni. Et ea tantum die mutuis ſe viſibus intuentes, ſuper ripas ejuſdem fluminis huc & ultra, ut ſui fierent fideles innoxii, ſacramento, quo hanc eorum conventionem, fuerant pollitici. Verum feria VII. Idus Novembris in medio Rheni fluminis ſæpius dicti Principes, in navibus quiſque ſuis, in tertiam aſcenderunt, quæ ancorata in fluminis medio, gratia eorum colloquii, fixa erat: ibique in primo hanc ſibi viciſſim convenientiam, ob ſtatum pacis, juramento ſanxerunt, ita.

Aub. Miræi Notitia Eccleſ. Belgii. p. 91. & ſeqq.

Digitized by Google

Ego Carolus divina propitiante clementia, Rex Francorum occidentalium, amodò ero huic amico meo Regi Orientali Heinrico amicus, ſicut amicus per rectum debet eſſe ſuo amico, ſecundum meum ſcire ac poſſe: ea vero ratione, ſi ipſe mihi juraverit ipſum eundemq; ſacramentum, & attenderit quæ promiſerit. Sic me Deus adjuvet & iſtæ ſanctæ reliquiæ. E contra Rex Henricus eandem promiſſionem ſacramento eiſdem proſecutus eſt verbis ſubſequenter, ut hujus amicitiæ firmitas inviolabiliter obſervaretur. Hæc ſunt nomina Epiſcoporum, qui cum nobilibus ac fidelibus laicis firmitatem, quam præmemorati Reges inter ſe fecerunt, collaudando acceptaverunt, & manibus ſuis ſacramentum firmaverunt nunquam à ſe deſtruendam

Epiſcopi ex parte Dominis Regis Caroli.

Hermannus Archiepiſcopus Agrippinæ, quæ modo eſt Colonia vocitata.

Rodgerus A. Treverorum. Stephanus Præſul Cameracorum.

Bovo Ep. Catalaunenſium. Baldricus Trajectenſium Ep.

Hæc nomina Comitum. Matfredus, Erkengerus, Hagano, Boſo, Waltkerus, Iſaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus.

Epiſcopi ex parte Regis inclyti Heinrici.

Herigerus Archiepiſcopus Moguntiacorum.

Nithardus Epiſcop. Mimmogerneferdæ.

Dodo Ep. Oſnobroggæ.

Ricavvdo Ep. Vangionum, quæ nunc dicitur Wormatia.

Honvardus Epiſcopus Padebornenſis.

Hottingus Ep. Conſtantiæ Alemannicæ.

Hæc ſunt nomina Comitum. Evrardus, Chonradus, Herimannus, Hato, Godefredus, Otto Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Foldac.

Notationes.

CAroli Simplicis annorum exordium plerique ſcriptores ab obitu Odonis Regis, hoc eſt, à die tertio Januarii, anni octingente-

genteſimi octavi, Carolus autem ipſe in ſuis diplomatibus quinquennio altius repetit; à die videlicet 28. Januarii anni octingenteſimi nonageſimi tertii, quo Remis à Fulcone Archiepiſcopo in Regem eſt unctus. Quem annum Rhegino indicat, cum Regem levatum ait ſub finem anni octingenteſimi nonageſimi ſecundi. Nam cum annos non à natali, ſed à Chriſti incarnatione, hoc eſt à die 25. Martii ordiatur, anno cuiq; primos etiam ſequentis anni menſes adnumerat. Deniq; Caroli Simplicis regnum ab hoc, quem diximus Chriſti anno in ejus diplomatibus inchoari facile perſpiciet, qui ejus annos cum indictionibus comparabit.

REDINTEGRANTE] Carolus Simplex quo tempore in Regem confirmatus eſt, integrum regnum ſua in poteſtate non habuit, quia Odo Rex, quamdiu vixit, Aquitaniam & Burgundiam tenuit. Mortuo poſt quinquennium Odone, quæ ab illo poſſeſſa fuerant recepit, regnumque redintegravit. Atque hujus redintegrationis annos regni ſui annis Carolus deinceps in ſuis diplomatibus ſubjunxit. Semper igitur redintegrationis anni ſolido fere quinquennio annis regni pauciores ſunt: & ſolidum fuiſſet, ſi Odo, qui die tertio Januarii obiit, uſque ad diem 28. Januarii, quo die Carolus Simplex injunctus fuit, vitam produxiſſet.

LARGIORE HEREDITATE INDEPTA X.] Hoc ad regnum Lotharii pertinet, cuius acceſſione Carolus Simplex hereditatem ſuam anno 912. amplificavit: quo nimirum tempore Ludovicus ultimus Carolinæ ſtirpis in Germania ſine liberis deceſſit.

Regino ad annum 925. *Henrico Regi conſtabilitum Lotharienſe regnum; id eo in ſua poteſtate habente.* Idem paulo ante dixerat, *Anno 924. Carolus & Henricus Reges apud Bonnam caſtellum conveniunt, & pacem inter ſe facientes fœdus ineunt, & Carolus nunquam ſibi amplius Lothaienſe regnum uſurpaturum promittens, regreditur.* Unde diſcimus, non anno 921. ut ſcripſerat Tilius, ſed biennio poſt inter Carolum & Henricum Bonnæ de regno Lotharingiæ ita contractum: adeoque hoc pactum Bonnenſe ab illo altero, quod anno viceſimo primo eſt initum, cujuſque Tabulas debemus Sirmondo, longe eſſe diverſum, & perinique tabularum illarum

Conring. de Finib. Imp. Germ. p. 854.

prætextu Sigebertum & alios, qui poſtremi huius Bonnenſis pacti meminerunt, à nuperis quibuſdam Gallicis ſcriptoribus falſi accuſari.

Sigebertus ad annum 980. *Otto Imperator & Lotharius Rex convenientes ſuper Charum fluvium, pacificantur datis invicem ſacramentis, & Rex Lotharius* LOTHARINGIAM ABIVRAT. Inter recentiores Gallos, ipſe etiam Joannes. (*Otto II. & Lotharius filius Ludovici IV. cui Dynaſtia Hugonidarum ſucceſſit.*)

Fœdus inter Fridericum II. & Philippum Auguſtum, Regem Francorum An. 1212.

Conring. de fin. Imp. Germ. p. 71. & ſeq.

RIgordus Monachus libro de geſtis Philippi Auguſti Franciæ Regis: *Eodem anno celebratum eſt colloquium inter eundem Fridericum & Philippum Magnanimum Regem Francorum apud vallem Coloris, Metenſi Epiſcopo mediante, cui tamen non interfuit ipſe Rex, ſed Ludovicus filius ejus primogenitus cum magnatibus regni. Et percuſſerunt fœdus inter ſe, & renovarunt* AMICITIAS PERPETVAS, SICVT FVERVNT inter eorum prædeceſſores. Fraxineus Franciſci Regis ad ordines Imperii orator, non dubitavit, (teſte Sleidano l. 24.) profiteri fœdus illud perpetuæ amicitiæ inter Imperium & Franciæ regnum, *Philippum Auguſtum aureis deſcribi literis & ſanctiore loco reponi juſſiſſe.*

Pactum Alberti Imp. & Philippi Pulchri Reg. Francorum. An. 1299.

Conringius de Finibus Imp. German. p. 73. & ſeqq.

QUin fertur Alberti & Pulchri tale pactum: *Albertus &c. Nos & Sereniſſimus Philippus D. G. Rex Francorum, amicus noſter chariſſimus, inivimus, voluimus, & ad invicem concordavimus, ac etiam promiſimus fide data, nomine juramenti: juraverunt etiam in animas noſtras nobis præſentibus, videlicet pro jam dicto Rege Franciæ ſpectabilis vir Comes S. Pauli; pro nobis vero nobilis Burchardus Comes, avunculus noſter chariſſimus, quod ex nunc erimus ad invicem veri & fideles amici, ac in noſtris ac regnorum noſtrorum & Imperii honoribus, libertatibus & ſtatibus mutuo conſervandis, contra omnem hominem veri & validi adjutores. Quodq; inter nos & heredes, ſucceſſores noſtros, & Francorum Reges & Imperatores, pacis & amicitiæ fœdera,* PERPETVIS *duratura tempribus ſervabuntur*

Digitized by Google

buntur &c. Actum & datum nobis præſentibus apud Quatuor valles, die Martis, octavo menſis Decembris anno Domini 1299. *Ind.* 14. *Regni vero noſtri anno* 2. Immo creditur à nonnullis hoc Philippi & Alberti pactum eſſe nobile illud, quod quaſi apud Tullum initum pro lege perpetua ſecuta tempeſtate fuit obſervatum. In Commentariis ſane Pii ſecundi Papæ l. 3. ad annum 1459. ita ſcribitur. *Philippus* Burgundiæ Dux *indigne agere Regem Franciæ* Carolum IIX *ajebat, qui nonnulla in Ducatu Luxemburgenſi, id eſt in Imperij ditione, oppida occupaſſet, adverſus antiquum fœdus, quod Francorum Reges cum Imperatoribus apud Tullum percuſſere: in quo cautum ſit*, IMPERATOR IN REGNO FRANCIÆ, REX IN IMPERIO NE DOMINATUM SIBI VINDICET, *etiamſi volentes aliqui ſe dedant. Injuſte Regem agere, qui fœdus violet, & oppignoratum ſibi Luxemburgenſem Ducatum moleſtare audeat.*

Fortaſſis Tullenſe illud pactum aliud eſt abhoc inter Albertum & Pulchrum icto. Indubie tamen inter eos pax inita eſt. Regis Pulchri ſorore Blanca in matrimonium Rudolpho Alberti filio collocata, quo amicitia ſanctiore copula ſibi conſtaret.

Pacificationum Auſtro-Hiſpano-Gallicarum Recapitulatio.

PRima ergò inter *Gallicam* & *Burgundicam* (quam demum *Auſtro-Hiſpanica* excepit) domum incidens controverſia, ex ambitione Gallorum exorta eſt. *Ludovicus* enim *Dux Andegavenſis, Philippum Burgundum* præire ſatagebat, quod diſſidium *Carolus VI. Galliæ Rex* compoſuit, & *pro Burgundo* judicavit; Haud fallax augurium, fore ſcilicet, ut ambitioſi hi affectus *Burgundicam* quidem *felicitatem* concomitarentur, nunquam tamen eandem ſint oppreſſuri, *juſtitiâ reſiſtente, cap.* 1. *Georg. Braudlacht Pacif. 4. H. Gall. p.* 98. *& ſeq. Pacificat.* 1.

Secunda eiusdem farinæ eſſe videtur, nam quum *Carolus VI. Rex Galliæ* in mentis alienationem incidiſſet, atque inter *Iohannem Burgundum* & *Ludovicum Aurelianenſem* de Regni adminiſtratione quæſtio exoriretur, *Burgundo* adminiſtratio commiſſa eſt, cùm verò *Aurelianenſis* nihilominus Regnum affectaſſet, *Pariſiis* interfectus eſt, quod licet *Burgundo* imputaretur, à Rege tamen abſolutus, & *Pacif.* 2.

tus & *Aurelianenſem* boni publici cauſâ interfectum eſſe, concluſum fuit *cap.* 1.

Pacif. 3. *Tertium* autem diſſidium juſtiſſimâ ex cauſâ pro *Burgundis* eſt compoſitum. contrà enim jus gentium & datam fidem, *Aurelianenſes* Galli, *Iohannem Burgundum* apud *Monſtrelium* interfecêre, unde inter *Gallos* & *Philippum Bonum Burgundiæ* Ducem diuturnum bellum geſtum, cumq; Burgundi laude pacificatum; *cap.* 1.

Pacif. 4. *Quarta* æmulatio *Ludovici XI. Regis Galliæ*, & *Caroli Ducis Burgundiæ* multorum erat capitum, ut enim uterque erat conſilio præceps & ingenio vario, ita variis ex cauſis inter eos controverſiæ naſcebantur, ſi tamen *principium* ſpectês, in eo *Ludovicum* peccaſſe videtur, quòd *Carolo* in paterno ſolo inſidiatus fuerit, quam ob rem *Carolus Burgundus Galliæ Proceribus*, qui à Rege more inaudito, novis oneribus vexabantur, & privilegiis juribusque privabantur, (*Ludovicus* enim hic Primus Regum Franciæ eſſe ſcribitur, qui reſtrictâ Principum libertate, Regiam auctoritatem ſibi conciliavit) adhæſit, atque ita quamdiu vixit, ſuſpectum illum habuit, ſed tamen hæc omnia certis conditionibus ſopita fuêre, *cap.* 1.

Pacif. 5. *Quintò* inter *Ludovicum Galliæ Regem* & *Maximilianum Auſtriacum*, de *Burgundicis* & *Belgicis* provinciis diſſidium & bellum incidebat. *Maximilianus* jure uxorio (prout etiam tàm *Burgundia* quàm *Provinciæ Belgicæ* ad *Burgundiones* pervenerant) & matrimoniali nexu in ſe ſuamque domum easdem tranſtuliſſe aſſerebat, atq; Galli ultrò conceſſerunt, Regem nihil juris in eiuſmodi Provincias habere (ſi non *Gallicum jus* LE DROICT DE BIEN SEANÇE) Quid ergò bellum injuſtum, *Pacificatio pro Auſtriis* juſtiſſima, quâ *Belgium* cum incorporatis Provinciis iisdem permanſit; *Cap.* 2.

Pacif. 6. *Sextò* ſine omni controverſiâ, repudiatio *Maximiliani Auſtriaci* filiæ *Margaritæ Burgundicæ*, & raptus *Annæ Britannicæ* Maximiliano deſponſatæ, à *Carolo VIII.* Galliæ Rege commiſſus, juſtiſſimi belli vindicatorii cauſa, & mitiſſimi *Maximiliani* erga pacem & quietem cum Regibus Galliæ animi index fuit; Quis enim privatorum, filiam unicam ſolenniter alicui promiſſam & domum deductam, repudiari, atque è contra propriam ſponſam ſibi eripi patietur? *Cap.* 2.

Septimò,

Digitized by Google

Septimò, circa *Neapolitanum* & *Siculum* Regnum variæ occurrunt controverſiæ; Sed ut *vetuſtiores* hoc tempore omittam, utpote quæ per jura & pacta poſteriora vel finitæ vel obliteratæ ſunt; Indubium eſt, *Ferdinandum Catholicum Hiſpaniarum* Regem, *Alphonſi Arragonij* eius nominis I. Utriuſque Neapolitani & Siciliæ Regni Regis, *patruelem*, ſive fratris filium fuiſſe, ad eum ergò, excluſo Alphonſi filio ſpurio utrumque Regnum pertinuiſſe, omnique jure ad eius acquiſitionem animum adjeciſſe; Vt verò expeditionem hanc per aliquot tempora dilatam, faciliorem ſibi redderet, cum Rege Galliæ (qui ſive de jure, ſive de facto ſimiliter in Regnum Neapolitanum prætendebat) de invadendo, occupando & inter ſe dividendo Regno pacem iniit, ſucceſſerunt omnia benè; *Cap.* 3. *Pacif.* 7.

Octavò; At *Galli* in Regno licet diviſo quietè ſtare non potuerunt, ergò cùm *Gallia Pro Rex* contra *Hiſpanos* causâ non ſatis probabili bellum moveret, *Galli* tandem Regno pulſi, æquam tamen, intercedente inter *Ferdinandum Hiſpanum* cum *Galliæ Regis* *Pacif.* 8. *ſorore* matrimonio, obtinuerunt pacem: *Cap* 3.

Nonò; *Mediolanenſis Ducatus Imperij feudum*, primò *Vicarios*, deinde *Duces*, qui ei Imperii nomine præerant, habuit, inter eos fuit *Galeacius*, qui duos reliquit filios, *Iohannem* & *Philippum Mariam*, atque unicam filiam *Valentinam Ludovico Aurelianenſi* nuptam. *Galeacii* itaque filiis ſine maſculâ prole exſtinctis, *Ludovici Aurelianenſis* filii, occaſione prætenſi juris materni Ducatum invadebant, ſed repulſi, demum *Ludovicus Galliæ Rex* ex *Valentinâ* nepos, eundem occupavit; *Maximilianus Cæſar*, eò quòd Mediolanum Imperii feudum & quidem ad maſculos ſaltem tranſitorium eſſet, & per conſequens de mortuis Galeacii filiis ad Imperium ſit reverſum, aſſerebat, *Gallo* omnem ſucceſſionem & meritò quidem denegebat; Poſtea tamen certis conditionibus pacem cum eo pepigit; *Cap.* 4. *Pacif.* 9.

Decimò, Hæ pacis conditiones (nec enim *Rex Ludovicus* clauſulas præſertim matrimoniales pactioni conſentaneas eique inſertas adimplevit) à *Gallis* non fuerunt obſervatæ; Et licet præterea *Cameraci* inter Cæſarem & Regem Galliæ, de prædicto Ducatu, alia interceſſerit Pacificatio, cùm tamen ea in præjudicium *Pacif.* 10.

E Caroli

Digitized by Google

Caroli Auſtriaci facta, atque *Ludovicus Galliæ Rex*, ſe *Conciliabuli Piſani* defenſorem præbuiſſet, Cæſarique ſe oppoſuiſſet, conventio hæc meritò annullata fuit; Et quod amplius *Valentina* deſcendentibus, & ſtirpe *Valeſiâ* exſtinctâ, *Borbonii* modernis Galliæ Regibus nihil juris in *Ducatu Mediolanenſi* competat, Cæſariani validis juris fundamentis ſtatuunt; *Cap.* 4.

Vndecimò; Regni *Navarræi* occupatio & poſſeſſio, ob inobedientiam & hoſtilitates *Ludovici Galliæ Regis*, *Ferdinando Catholico Hiſpaniarum Regi* adjudicata fuit, ubi ſpreta S. Pontificis potestas diſputabatur, verùm ſingulari *Pacificatione*, *Ferdinando* Regnum iſtud remanſit, quod idem de *Roſcionenſi Comitatu* dicendum; *Cap.* 5.

Pacif. 11.

Duodecimò; Ludovico XII. Galliæ Regi defuncto *Franciſcus* I. ſucceſſerat, qui contra pacta ſuperiora *Ducatum Mediolanenſem* invaſit & occupavit, ſed rurſus, ob juventutem & periculoſum ſtatum Regnorum *Caroli Auſtriaci*, jam novi *Hiſpaniarum Regis*, ſub conditione aliquâ matrimoniali *Pacificatio* facta eſt; *Cap.* 6.

Pacif. 12.

Decimo tertiò; ſed quum interea *Maximilianus* quoq; *Cæſar* diem obierat, *Franciſcus Rex Galliæ* varia contra *Carolum Auſtriacum* movit; Primò Prætenſiones contra *Imperii* quædam *loca* ex orco revocavit. Secundò *Imperialem Coronam* contra Carolum Auſtriacum, vel alium quempiam Germaniæ Principem, quem libera electio daret, ambiit. Tertiò, *Carolum* variis injuriis & contumeliis affecit, ac poſtquam ambitum Imperialis dignitatis fruſtraneum vidiſſet, Quartò ad *veteres* jam dudum inter utriuſque anteceſſores deciſas ſopitasque *cauſas* recurrit, *Navarram* aggreditur, *Mediolanenſem Ducatum* invadit, atque *Belgii fines* infeſtat, unde inceptum eſt bellum *Italicum* variâ fortunâ geſtum, donec *Franciſcus* ipſe pœnam luens caperetur, atque in Hiſpaniam mitteretur, quam captivitatem ſubſequuta eſt *Pacificatio Madritana*, quâ Rex Galliæ omnium ſuorum Prædeceſſorum promiſſa & pacta renovavit confirmavitque, atque plura alia pollicitus, libertatem recuperavit; *Cap.* 6.

Pacif. 13.

Decimo quartò; ſed nihil horum præſtitit more ſuo *Gallus*, quamprimùm enim in Galliam rediit, tùm quod *coactus* illa promiſiſſe dicebat, cùm quia *Proceres Regni* (uti prætendebat) *promiſſa*

appro-

approbare nollent, novùm in *Italiâ* bellum incepit, quod aliorum interceſſione rurſus *Cameraci* ſopitum, memorabilibus punctis *Pacif.14.* (præter ea, quæ *Madritanæ* transactioni inſertæ fuerant) adjectis; Inter quæ & hicce articulus erat, *ne Rex Galliæ in poſterum Italiæ, vel Germaniæ rebus ſe immiſceret, nec ulli Principi, in Cæſaris damnum ſuppetias daret*; *Cap.7.*

Decimo quintò; At *Franciſcus* non ſolùm *Smalcaldici* fœderis ſociis *Proteſtantibus* 6. Principibus & Statibus in Germaniâ favebat, *Ferdinandi Cæſaris fratri* electionem in *Regem Romanorum* impedire conabatur, in *Italiâ* novas turbas ciebat, *Mediolanenſi Ducatui* inhiebat, ſed etiam contra *Cæſarem Tunetano bello* impeditum multa alia moliebatur, quæ res Cæſaris animum ad juſtam vindictam commovebat, ſed interventu S. Pontificis *Nizæ* nova pax, *Pacif.15.* vel potius *novennales induciæ* factæ ſunt; *Cap.7.*

Decimo ſextò; Licet poſt inducias Nicenſes in duobus colloquiis magna inter Cæſarem & Franciſum familiaritas interceſſerit, brevis tamen induciarum operatio & effectus erat; Nam *Rex Franciæ* cùm nec Pacis tractationibus, nec familiaribus colloquiis *Mediolanenſem Ducatum* pro filio obtinere poſſet, novas & quidem prohibitas amicitias cum *Guilielmo Clevenſium Duce*, qui *Ducatum Geldrenſem* ad *Carolum Cæſarem* devolutum (quæ quæſtio tùm temporis poſt *Caroli Geldriæ Ducis* mortem agitabatur) ad ſe pertinere prætendebat, atque *Principibus Germaniæ* religionis causâ à Cæſare diſſidentibus, ſibi conciliavit, acceſſit & aliud infortunium, quod *Galli* Legati, ad *Turcicam portam* cum literis deſtinati, ab *Hiſpanis* intercepti fuerint; *Cæſarem* ergò, dum ab infelici *Africanâ* expeditione in *Italiam* redit, *Gallus* quinque diverſis exercitibus, quibus claſſem Turcicam maritimam, cui *Polinius* Regis Legatus aderat junxerat, aggreditur, verùm Cæſarianis ſe ſtrenuè defendentibus, pace *Crepinenſi* omnia in priſtinum ſtatum fuère reſtituta; *Cap. 8.* *Pacif.16.*

Decimo ſeptimò, Dum *Cæſar* Germanicum bellum, à *Iohanne Friderico Saxone*, & *Philippo Haſſiæ Landgravio* religionis causâ excitatum componit, *Franciſcus Rex Galliæ* moritur, & filium *Henricum II.* Regni & æmulationis erga *Auſtrios* hæredem reliquit; Hic ex levi accidente, ad ſe non pertinente, ob occupatam in tumul-

Digitized by Google

tu à Cæſarianis *Placentiam*, in *Italiâ* bellum reſuſcitavit, atque demum *Germanicis rebus*, contrà pacta prædeceſſorum ſe immiſcens, cum *Mauritio Saxone*, *Cæſari* ex improviſo bellum infert, *Turcicis* etiã armis, ut Italiam infeſtarent (quod & factum) arctiori fœdere, magno cum Chriſtianorum damno & ſcandalo, ſibi junctis, quo ipſo *Proteſtantibus* in *Germaniâ* Pacem religionis à *Cæſare* & *Ferdinando* fratre Romanorum Rege extorſit, & quoad reliquas controverſias, ex tractatu in *Cœnobio Vallecluſenſi* propè *Cameracum* habito, *Induciæ quinquennales* ſubſequutæ ſunt; *Cap.* 9. Quibus obtentis, *Carolus Cæſar* tædio vitæ *Ferdinandi fratri* Imperium, *Philippo* verò filio, Regna hæreditaria, cum aliis provinciis reſignat, atq; in *Hiſpaniam* navigans *S. Iuſti Cœnobium* ingreditur. Sed pactæ induciæ vix annum durârunt, ergò rurſus in *Italiâ* & *Belgio* armis
Pacif. 17. concertatum, donec inſigne illud prælium apud *Sanctum Quintinum*, quo flos nobilitatis Gallicæ cecidit, *ſolenni Pacificationi Cameracenſi* viam aperuit, quâ inter *Philippum II. Hiſpaniarum*, & *Henricum II. Galliæ Reges*, atq; utriusque ſocios, non ſolùm omnes controverſiæ ſopitæ, ſed ſimul etiam contracta amicitia matrimoniali vinculo firmata fuit; *Cap.* 9.

Decimo octavò, *Henrico II.* Galliæ Rege in infelici haſtiludio interfecto, miſerrimus ſub *Franciſci II. Caroli IX.* & *Henrici III.* imperiis fuit Galliæ ſtatus, quem ſi voluiſſet *Philippus* magis interturbare potuiſſet, ſed paci Catholicæque religioni conſulere maluit; Tandem cum *Henrico Navarræo*, primo Regni hujus invaſore, deinde *Henrico III.* exſtincto eiusdem legitimo *Rege*, eius nomiminis quarto; tum quòd hic prætenſiones *Navarræus* renovaret,
Pacif. 18. cùm quoq; rebellibus *Belgis* auxilium mitteret, aliquamdiu bellum gerere coactus fuit. Quod demum inter utrumque Regem, & ſocios, *Pace Vervinenſi* ſopitum, hæcq; Pacificatio ſolennibus juramentis confirmata fuit; *Cap* 10.

Decimo nonò; *Henricus* tamen *Navarræus* (quod promiſerat) à *Belgicis auxiliis* non abſtinuit, quin imò eadem poſtea ſingulari conventione & pacto iisdem confirmavit; Atq; dum *Germanorum Principum* aliorumq; *in vel extra Germaniam Imperio devinctorum* Cæſari obedientiam denegantium, juſſaq; ſupremorum *Imperii Tribunalium* ſpernentium *Protectionem* (contra Anteceſſorum & propria

pacta)

Digitized by Google

Pacta) pro *peculiari Galliæ jure* habuit, eamque perſuaſionem *Succeſſoribus* reliquit, Germaniæ negotia exinde non ſemel difficiliora reddita ſunt, quæ cauſa etiam eſt, cur (cæteris omiſſis) demum *Ludovicus* eius filius *Mantuano* bello aliisque *Italicis negotiis* ſeſe immiſcuit, quæ tamen ultima difficultas *Ratiſponenſi Pacificatione* ſatis ſublata fuiſſet, ſi in eâdem *Galli* acquieviſſent, atque ab ulteriori, cum *Suecis*, aliisq; juratis Imperii hoſtibus, in ipſius *Imperii* eiusq; *fidelium Statuum* perniciem, colligatione & conſpiratione abſtinuiſſent, quo ipſo tandem *Galli Chriſtianiſſimi* (uti videri volunt) in *cauſa Palatinatus*, *reſtitutionis bonorum Eccleſiaſticorum*, *abolitionis* omnium criminum contra *Imperium*, *Cæſaream Majeſtatem*, & fideles *Imperii Status*, præſertim *Catholicos* commiſſorum, atq; aliorum ſimilium, ſe ſuſpectos reddidêre; *Cap.* 10. *Pacif.* 19.

Hoc caput ut claudam, lectorem moneo, me non ignorare, ultra eas, quas breviter recenſui, *Pacificationum* enarratarum tùm *conſtitutarum* cùm *violatarum* cauſas, adhuc alias prætendi referriq; poſſe, verùm animadvertendum, ne cum imperitis *cauſas* cum *prætextu* confundamus, Id enim peculiare eſſe Regibus poſt *Cominaum in comment. Gallicis* ſcribit *Alber. Gentilis* (a) ut ſemper aliquam *probabilem cauſam vel prætextum* ſuſcipiendorum bellorum (adde quoque violandarum Pacificationum) præ ſe ferant, quamvis ſæpè nulla cauſa ſubſit; non ergò quid prætenditur, ſed quid reverà agatur, inſpiciendum, atque inde rei veritas judicanda, quod non niſi rerum ordine benè cognito, quo ſcilicet tempore, & quibus circumſtantiis geſtum, fieri poterit.

(a) *Genti. de jur. belli lib.* 1. *cap.* 7.

Albertum Auſtriacum Cæſarem, Philippo Pulchro Gallorum Regi Arelatenſe Regnum A. 1299. *donaſſe, nugas Gallicas eſſe demonſtratur.*

ALbertum Auſtriacum Cæſarem cum Philippo Pulchro anno MCCXCIX firmam pacem & concordiam pactum eſſe, haud videtur quidem negari poſſe: jamque tum c. 8. in id conditas tabulas produximus. Nec negaverim, à patre in Gallos collatum beneficium circa Arelatenſem Provinciam, quod impugnaverat Adolfus, ab illo confirmatum eſſe. At vero (id quod *Quinto* loco

Conring. de Finib. Imp. German. p. 184. *& ſeqq.*

eſt obſervandum) Imperialia omnia jura illum alienaſſe, neutiquam ſit veroſimile. Utique enim in tabulis illis quas attulimus, quibuſq; pax tum publica conſtituta eſt, nihil eiuſmodi reperias. Sed & repugnat huic narrationi uſus ſubſecuti temporis: qui liquido oſtendit, Imperialem ſummam poteſtatem Arelatenſia iſthæc, diu etiam poſt, Gallo haud repugnante, fuiſſe ſuperſtitem, ceu mox demonſtrabitur. Qui vero id contigerit, ſi ea prodigalitate Imperii omnia iſthæc jura Gallo ceſſiſſent? Ad hoc uſque adeo de Alberti illo dono Galli inter ſe diſſident, ut ipſum illud diſſidium fabulam omnem ſuſpectam reddat. Quid quod eorum nonnulli adeo impudenter nugentur, ut à prudentioribus aliis vapulent? Eiuſmodi ſane eſt commentum Wilhelmi Nangiaci & aliorum, conceſſum ab Alberto, *ut Regnum Franciæ, quod ſolummodo uſque ad Moſam fluvium illis in partibus ſe extendebat, de cætero uſque ad Rhenum poteſtatis ſuæ terminos dilataret.* Præclare enim in illud animadvertit Belleforeſtius *tomo 1. l. 4. cap. 43.* docens, *Philippum Pulchrum & ſucceſſores eius Franciæ Reges illa nunquam potitos jurisdictione; quinimo fluvium Moſam ſemper fuiſſe limitem Regni Franciæ: quæ ultra Moſam ſunt ad Rhenum uſque à ſupremo Imperii jure dependiſſe.* Vignierius ſatis habuit Nangæi narrationem illam attuliſſe; minime probavit. Producam illius de Albertino illo dono ſententiam, qualem illam ex Gallico Latine vertit diligentiſſimus Limnæus in Addition. ad l. 1. c. 9. Iuris Publici, quoniam digna ſunt quæ memorentur. *Imperator Albertus Auſtriacus & Rex Galliæ Philippus convenerunt Vocoloribus in Lotharingia, magno Principum & Prælatorum tam Germanorum quam Gallorum comitatu. Ubi pacto inito & renovatione antiqui fœderis facta, Imperator renunciavit juri, quod nomine Imperii habere poterat in Regnum Arelatenſe, cum poſſeſſionem Regis Galliæ poſt mortem Imperatoris Friderici invaſerant. Rex autem Galliæ ceſſit in emolumentum Rudolfi filij primogeniti Imperatoris, favore matrimonii, quod cum Blanca ſorore Regis contraxerat, anno autem inſequenti conſummavit, omne illud quod ſibi competere arbitrabatur tam in Lotharingia, quam in Comitatu Auſſenſi & diſtrictu Friburgenſi. Uti ſcriptum vidi in copia tranſactionis hac de re confectæ, & in quadam hiſtoria Archiepiſcoporum Trevirenſium nondum impreſſa. Quod (ut eadem hiſtoria refert) maxime diſplicuit Archiepiſcopis Trevirenſi & Moguntino & Colo-*

Digitized by Google

& Colonienſi, ſic ut Imperator poſtea fuerit coactus ſe apud ipſos excuſare, prout refert Cuſpinianus. Licet Annales Wilhelmi de Nangiaco & annales Galliæ etiam hoc addant, eodem pacto fuiſſe conceſſum, ut limites, poteſtas & juriſdictio Regni Galliæ, quæ antea Moſella terminabantur, imposterum ad Rhenum uſque ſe extenderent, Hæc Vignierius. Qui ſi legit Tabulas illas Alberti, & quidem uſque adeo liberales, quare non vulgavit eas & omnium examini expoſuit? Certe quoniam hoc neglexit, etiam ipſo illo fides illius ſuſpecta redditur. Iam vero ſubjungit mox Vignierius, Henricum Luceburgium vendidiſſe Imperii jura Gallo; quod profecto fieri non potuit, ſi paulo ante Alberti illa donatio fuiſſet inſtituta. Quod ſi porro Electores Principes Alberti illud donum improbavere, non acceſſit utique, ipſomet Vignierio teſte, conſenſus Principum, quo uno ſtat robur Cæſareorum munerum. Non dicit vero id Cuſpinianus, quod Vignierius illius teſtimonio vult probare, ſed hoc: Blancam Philippi Regis ſororum Rudolfo filio in matrimonium datam eſſe, *id Moguntino & Colonienſi Epiſcopis diſplicuiſſe, easque ob nuptias Alberto dehinc inviſos ac rebelles fuiſſe.* De donato à Cæſare Arelatenſi regno, ne quidem verbulum aliquod memoravit Cuſpinianus.

Goldaſtus vero in epiſtola dedicatoria operis, cui titulus Reichshandlungen ita loquitur: Es ſeint noch aber Königliche diplomata verhanden/ darinnen ſich befindet/ das der Römiſche König Wilhelm aus Holland anno 1251 alle ſeine Gerechtigkeit/ Renten/ Gütern/ einkommen und Nutzbarkeit/ ſo er als Römiſcher König im Königreich Arles/ vnd den Reichſtätten Biſantz vnd Loſannen hatte/ den Grafen in Burgund vmb zehen tauſent Marck Silbers verſetzt vnd verpfendet hat. Doch iſt es bald nach Keyſer Wilhelms todt durch Reicharden auß Engeland/ erwehlten Römiſchen König/ wider abgelöſet/ vnd darnach von Rudolffen von Habſpurg auch erwehlten Römiſchen König/ mit hülff und beyſtand der Fürſten/ Herrn und Stätte in Oberland/ zu des Reichs Händen mit gewalt erobert vnd wiederbracht werden. Als aber der König in Franckreich in zwytracht vnd Vneinigkeit der Teutſchen Fürſten die gelegenheit bey den haren erhaſcht/ vnd den beſten theil dieſes herrlichen Königreichs vnter ſeine klawen mit hülff vnd zuthun des Pabſts von Rom geriſſen/

Conring. de Finib. Imp. German. p. 569. & ſeq.

Digitized by Google

riſſen / that Keyſer Adolph von Naſſaw anno 1295 den Franzoſen in ſeine vnd des Reichs Acht / zoge drauff mit einem Teutſchen Heer / ſonderlich der Oberlandiſchen Fürſten / Herrn vnd Stätten / in Franckreich den König zu bekriegen / vnd das Königreich Arles wiederumb zu dem Heiligen Reich / als deſſelben getrewen Voget vnd Gehab / zu bringen. Aber der Pabſt verſchaffet ſo viel durchs Königs Albrechts anhang / daß Keyſer Adolph von ſeinem Heldenmuth vnd Heroiſchen fürnemen müſte abſtehen / die Heeresfart quitiren / vnd ſeinem Feind in Teutſchland begegnen. Nach Keyſers Adolphen niederlag / als Albrecht im Keyſerthumb confirmiert vnd beſtetigt worden / ſol er haben ein Reichstag in Lothringen außgeſchrieben / auff welchen auch der König in Franckreich beruffen vnd erſchienen ſey / da ſchreibt man ſey die Erbeinung zwiſchen den Teutſchen vnd Frantzoſen erneuwert / vnd der ſpann beider Reichen vnd marchen auf folgende manier entſchieden / daß nemlich der König von Franckreich behalten vnd haben ſoll alle Fürſtenthumb Land vnd Herſchafften / die ſeine Vorfaren vnd Er in dem Königreich Arles dem Teuſchen Reich abgenommen vnd entzogen: hergegen ſol der Keyſer vor ſich eigenthümblich beſitzen vnd herſchen alle Fürſtenthümb / Stätt vnd Herrſchafften in Lothringen vnd Elſas gelegen / zu welchen der Frantzoß vermeint anſprach vnd gerechtigkeit zu haben. Hæc omnia Goldaſtus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google